Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nicodemi Frischlini Balingensis ... & M. Georgii Pfluegeri Ulmani, Virorum Clarissimorum, Methodus Legendi Historias Expedita, Nova, omnibus in Historia versantibus opido quam necessaria

Frischlin, Nicodemus
Pflüger, Georg
Keckermann, Bartholomäus

Lipsiae, 1630

Widmung

urn:nbn:de:bsz:31-107405

Visual Library

MAGNIFICO,

Rerum uſu, dote ſummariâ, pietate, fide ac humanitate Excellentiſſimo,

Dn. PHILIPPO SADLERO, SERENISSIMO SVECORUM REGI à Secretis,

Dn. ac Mecænati Benigniſſimo ſuſpiciendo S. & ſervitia.

SApienter à Sophocle in Ajace dictum eſt, Magnifice Dn. Secretarie, Mecænas Benigniſſime, & multùm ſuſpiciende; Gratiam ſemper gratiam parere:

cui verò acceptorum benefici-
orum memoria effluxerit, cũ
in bonis viris non eſſe haben-
dum. Memor hujus inſignis &
graviſſimæ ſententiæ, quum
nuper in Boruſſia tàm calido
amplexu ſim peregrinus ego,
verè dico, inſinuatus, gratum
& devotum animum erga
Magnificentiam Veſtram de-
miſsè declarare me par eſſe
duxi: non quidem pro Magnif.
veſtræ fortuna: ſed, ut Ulyſſes
apud Alcinoum, nihil habens
quod rependeret, pro ingenti-
bus meritis vota & grates ob-
tulit; ita ego, quem cætera de-
ſtituunt, præter munera, mo-
dulamina hæc FRISCHLINI
ac PFLÛGERI hiſtorica Ma-
gnif.

gnif. Veſtræ humilimè conſecrare, & volui & debui.

Accipiat itaq; hoc chartaceum munuſculum M. V. benignioreq; ſuſcipiat fronte, ut Artaxerxes Perſarum Rex, qui non tàm donum, quàm donantis animum exoſculatus eſt; nec eos Dii aſpernantur, qui quum thura non habeant, ſalsâ tantùm molâ litant. De reliquo Magnif. Veſtra ad Neſtoreos uſq; annos valeat, ſuumq; ſibi Jeremiam Clientem & Miniſtrum promtiſsimum commendatum habeat. Dabam Lipſiæ, d. Octob. 15. Anno 1629.

Magnificentiæ Væ.

Omni fide & obſequio obſtrictiſsimus

Jeremias Zeæman Neuburg. Pal.

Coronidis loco addere placuit Epiſtolam à Philologo excellentiſſimo, Dn. JOHANNE-BABTISTA HEBENSTREITTO, &c. (*cujus inſignem in opuſculo hoc concinnando* προθυμίαν *publicè gratus prædico*) *de hoc argumento ad Zeæmannum exaratam.*

Clariſſimo & Præſtantiſſimo Viro-Iuveni,

Dn. JEREMIÆ ZEÆMANNO, virtutis, lectiorisq; Callilogiæ autoramentis ſpectatiſſimo, amicorum inter Conjunctiſſimos apici.

HAve, mi Doctiſſime Dn. Jeremia. Ecce! domuitionem ad te parat fetus ille

FRISCH-

FRISCHLINO-PFLUGERIANUS. Eumpſe non perfunctoriè percerpſi; idque eo ſtudio, eaq́; voluptate, ut affectus mei veſtigia in oris chartarum, qualiacunque illa, imprimere non dubitaverim. Quæris, quid de illo ſentiam? Habe reſponſum paucis. De eo, qui primas duxit lineas, quid dicam aliud ego literatorum optio, quàm quod magni in ſtudiis noſtris Principes? qui tamen eheu! exiguum ad numerum redacti. Pflügeri quoque excitatum ingenium, & ſingulare acumen, & ſanctam ad reliquias Friſchlini colligen-

das voluntatem, choro etiam Muſico multò ante notiſſimam ſcio. Quare pietatem tuam in defunctos, quorum poſterior inſuper artâ te propinquitate attigit, magnifacio: ſed & pluris; quòd de tenerarum Muſarum qualo, ubi elegantiorum literarum & Hiſtorices pulli paſcuntur, tàm benè mereri ſtudeas. Ad pietatem tuam pulchrè quadrat illud Aurei-Oris ſcitum: Ἀνίστησιν ὡς τὰ πολλὰ τὴν ψυχὴν οὐ μόνον ἡ μνήμη τῶν φιλουμένων· ἀλλὰ τὸ ἱμάτιον αὐτῶν ὁραθὲν, τὸ γράμμα τῆς ποθουμένης χειρὸς, ἢ ἄλλό τι ὅπερ ἐκεῖνοι ἐχρῶντο, ἐπὶ χεῖρας ἐλθόν.

θὸν. Animi verò propoſitum, juniorum ſudorem compēdiariò promovendi, verè φιλοδιδακτικοῦ eſt. Nec enim aberit, quin ubi iſta ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἠγμένα dextrè animis impreſſerint, poſtea Penu Hiſtoricum, Franckenbergeri, Tilemanni, Voſſii, & taliſmodi genii aliorum opera magno ſuo commodo, inſtar elegantiſſimæ, maximeque frugi acceſſionis ad laborum ſuorum οἰκοδόμησιν adjuncturi ſint. Tu interim, Conjunctiſſime mihi, mi Dn. Jeremia, editione tàm eximiorum λειψάνων, unà cum Autorum diducta in-

ſecula fama, nomen quoq; tuum extendes: &, ſi a præſenti minùs ætate, à ſerâ tamen poſteritate (quæ literarum decus anxiè optabit poſtliminio reverti:) gratiam inibis ſolidam. Id quod animus præſagit, vel hoc dictamine Apollineo erectus:

Invida fatorum ſeries raptura videtur
Muſarum heu! nobis ac Heliconis opes.
Quantum in te, prohibe Zæmanne; ac nobile textũ
Magnorum, hoc ævo providus, ede virûm!
Eloquar: ut non grata ruens hæc munera ſeclum
Approbet, arripiet Lite abeunte Novum.

Pro

Pro Clauſula (avocant enim à longiori ſcriptione quædam nec-opinatò obrepentia:) te quam optimè valere ; & floridos annos, ut jam cœpiſti, laudabiliter, Deo & dulciſſimis Muſis conſecrare ; meique, ubi ubi fueris, memorem eſſe cupio. Dabam Ulmæ raptim Kal. Decembr. Anno ultimæ τοῦ χρηστότητος XXIX.

T. omni officio ac ſtudio ;

Hebenſtreittus.

Ad
Eximium & Præſtantiſſimum
Dn. JEREMIAM ZEÆMANNUM
Methodum Hiſtor. publicantem.

MVlta probare probo, reprobat quod nemo proborum,
Velle, nec ipſe probo, ſed reor eſſe probro.
Me rogitas, iſtumne probem, ZEÆMANNE, libellum?
Non probo, non reprobo, ſe probat ipſe probis.

M. Jeremias Weber
Lipſ. S. Theol. Bac.

METHO-